



**Venerabilis Bedæ Presbyteri Anglo-Saxonis, Doctoris
Ecclesiæ Vere Illuminati Opera Theologica, Moralia,
Historica, Philosophica, Mathematica & Rhetorica,
quotquot hucusque haberi potuerunt omnia**

In Vetus Et Novum Testamentum, Salvberrimis In Moysis Pentatevchvm,
Tobiam & Iobum, Libros Regum, Davidis Pasalmos, Parabolas Salomonis &
Cantica, Prophetas &c. explanationibus & Quæstionibus enodata:
Moralibus doctrinis & expositionibus in quatuor Evangelistarum Evangelia
illustrata: facundissimis ...

... Hic Tomus Quartus Allegoricis Expositionibus Et Qvæstionibus Vtrobique
Salvberrimis Tractat

Beda <Heiliger>

Coloniæ Agrippinæ, 1688


Hexameron.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72011)

VENERABILIS BEDÆ PRESBYTE-
RI HEXAMERON, SIVE DE SEX
DIERV M CREATIONE LIBELLVS.

DILECTISSIMO AC
REVERENDISSIMO ABBATI
ACCÆ, HUMILLIMUS FAMU-
LORUM CHRISTI BEDÆ S.

DE PRINCIPIO libri Gene-
sis, in quo mundi hujus crea-
tio descripta est, multi multa
dixere, multa posteris ingenii
sui monumenta reliquere, sed præcipue quantum nostra
pauca ediscere potuit, Ba-
siliius Cæsariensis, quem Eu-
nathius interpres de græco
fecit esse latinum: Ambro-
sius Mediolanensis, Augustinus Hipponensis Episcopus:
quorum primus libris novem, secundus vestigia eius se-
quens libris sex, tertius libris duodecim, & rursus alii
duobus specialiter adversum Manichæos descriptis pro-
lixè legentibus, doctrinæ salutaris fluentia manarunt, ejus
compleo in eis promisso veritatis, quo dicebat: *Qui credit
in me, sicut ait Scriptura flumina de ventre ejus fluent, aque vi-
væ.* E quibus Augustinus etiam in libris Confessionum
suarum, in libris quoque quos contra adversarium legis
& Prophetarum eximie composuit, Sed & in aliis partium
opusculis suis nonnullam ejusdem primordialis creaturæ
memoriam, cum expositione congrua fecit. Verum quia
hæc tam copiosa, tam sunt alta, ut vix nisi à locupletiori-
bus tot volumina acquiri, vix tam profunda nisi ab eru-
ditiore valeant perscrutari: placuit vestræ Sanctitati
id nobis officii injungere, ut de omnibus his velut de a-
menissimis latè florentis paradisi campis, quæ in sum-
mum viderentur necessitate sufficere, decerpemus. Nec
segnior in exequendo, quæ jubere es dignatus, extitit, quin
potius statim perspectis Patrum voluminibus collegi ex
his, ac duobus in libellis distinxit: quæ eodem adhuc pos-
sent instruere lectorem, quibus eruditus ad altiorem dis-
ceret, fortioresque majorum ascenderet lectionem. In
quo opere sensum per omnia memoratorum, aliorumque
æquè Catholicorum Patrum, nunc ipsi eorum, nunc bre-
viandi causa meis sermonibus: nunc tacitis eorum voca-
bulis, nunc commemoratis prout oportunitas locorum
distabat, ponere studebam. Produxique opus usque dum
ejectus Adam de paradiso voluptatis, exilium vitæ tem-
poralis intravit: aliqua etiam de sequentibus sacræ histo-
riæ, si Deus voluerit, auxilio vestræ intercessionis comi-
tante, scripturus, dum primò librum sancti Esdræ prophæ-
tæ ac sacerdotis, in quo Christi & Ecclesiæ Sacramenta
sub figura solutæ linguæ captivitatis restaurati templi, re-
ædificatæ sanctæ civitatis, reductorum in Hierosolymam
valorum, quæ abducta rescriptæ legis Dei quæ incensa
fuerat, castigati ab uxoribus alieni populi, & uno corde
atque animâ in Dei servitium converti, ut Propheta simul
& historicus conscripserit, parumper perscrutatus fuero, &
aliqua ex his, quæ commemoravi sacramentis, aptiora
studiosis Deo favente reddidero. Benè vale sem-
per amantissime Antistes, nostri memor
in Domino.



HEXAMERON.

In principio creavit Deus cælum & terram:
creationem mundi insinuans Scriptura
divina, aptè primo statim verbo æterni-
tatem atque omnipotentiam Dei crea-
toris ostendit. Quem enim in principio
temporum mundum creasse perhibet
ipsum profectò ante tempora æternaliter existisse desi-
gnat: & quem ipso conditionis initio cælum & terram
creasse narrat, tantâ celeritate operationis omnipoten-
tem esse declarat, cui voluisse fecisse est. Nam humana
fragilitas cum aliquid operatur: verbi gratiâ, cum do-
mum ædificamus, in principio operis materiam præpara-
mus, & post hoc principium fodimus in altum, dein-
dè immittimus lapides in fundamentum, deindec parietes
augescens lapidum ordinibus apponimus, sic-
que paulatim ad perfectionem operis propoliti perficien-
do perveniamus. Deus autem omnipotens, cujus man-
us est ad explendum opus suum, non eguit motû tem-
porum, quia scriptum est: *Omnia quæcumque voluit, fecit.*
Undè benè dictum, quia in principio creavit Deus cælum &
terram: ut aperte detur intelligi, quia utrumque simul ab
eo factum est, quamvis utrumque simul ab homine dici
non possit. Denique dicit Propheta: *Initio tu Domine ter-
ram fundasti.* Hic autem Dominus cælum & terram in
principio creasse narratur, undè liquido colligitur, quia
factura est utriusque elementi pariter expleta, & hoc tan-
tâ velocitate divina virtutis, ut nec dum primum mundi
nascentis momentum esset: transcendens: potest autem nò
improbabiliter intelligi, in principio fecisse Deum cælum
& terram in unigenito Filio suo, qui interrogantibus se
Judæis, quid eum credere deberent, respondit: *Principium
qui & loquor vobis. Quia in ipso, ut ait Apostolus, condita sunt
omnia in cælo & in terra.* Sed diligenter intuendum, ut ita
quique sentibus allegoricis studium impendat, quatenus
apertam historici fidem allegoriando non derelinquat.
Quod autem vel quale sit cælum, quod in principio cum
terra factum est, sequentibus verbis insinuat: cum dici-
tur: *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super
faciem abyssi.* Ut quid enim hæc de terra prætermisso cælo
intulit, nisi quia nil tale de cælo intelligi voluit: ipsum est
enim cælum superius, quod ab omni hujus mundi volu-
bili statu secretam divinæ gloriæ præscientiæ manet sem-
per quietum. Nam de nostro cælo, in quo sunt posita lu-
minaria huic sæculo necessaria, in sequentibus Scriptura,
quomodo vel quando sit factum, declarat. Non ergo supe-
rius illud cælum, quod mortalium omnium est inaccessi-
bile conspectibus, inane creatum est & vacuum, ut terra,
quæ nil in prima sua creatione virentium germinum vel
viventium produxit animalium: quia nimirum suis inco-
lis mox creatum, hoc est beatissimis Angelorum agmini-
bus impletum est, quos in principio cum cælo & terra con-
ditos esse: ac mox conditionem suam, simul & totius crea-
turæ primordialis ad laudem creatoris retulisse testatur
ipse conditor, qui loquens ad sanctum famulum suum Job
dicit: *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? & paulò
post: Cum me laudarent simul astra matutina, & subilarent o-
mnes filii Dei.* alia videlicet matutina eisdem Angelos,
quos & filios Dei nuncupans, ad distinctionem nimirum
hominum sanctorum, qui postmodum creandi, ac velut
altra vespertina post confessionem divinæ laudationis
per mortem erant carnis occidendi, & quibus videlicet a stris
matutinis ob despectum socii Dei laudationis audire ce-
ruit: *Quomodo cecidisti de cælo lucifer, qui mane oriebaris? cor-
ruisti in terram qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo: In
cælum ascendam, super sidera Dei exaltabo solium meum. In cu-*

ius expolitione sententia S. Hieronymus meminit etiam superioris caeli, ita scribens: *Vel antequam de caelo corrumpere, ista dicebat, vel postquam de caelo corrumpit: si adhuc in caelo positus, quomodo dicitur ascendam in caelum? Sed quia legimus: Caelum cali Dominus: cum esset in caelo, id est, in firmamento. In caelum, ubi solum Dominus est, cupiebat ascendere, non humilitate, sed superbia. Sin autem postquam de caelo corrumpit, ista loquitur: verba arrogantia debemus intelligere, quia nec precipitatus quiescat, sed adhuc sibi grandia repromittat, non ut inter astra, sed supra astra Dei sit. Merito itaque caelum caeli non inane vel vacuum esse memoratur, sed nec tenebris in eo vel abyssus locus remanere prohibetur ullus, quod Dominus Deus illuminat, & cuius lucerna aethyris: & merito inanis erat ac vacua terra, cum adhuc tota abyssus, id est, inmensa profunditate regebatur aquarum: merito tenebrae super faciem erant abyssi, cum necdum lux, quae has fugaret, creata est. Non autem audiendum, qui reprehendentes Deum, dicunt, tenebras eum antequam lucem creasset: quia non Deus tenebras in aqua vel in aere fecit ullas, sed ordine distincto providentia sua, prius aquas cum caelo creavit ac terra, & has postmodum cum voluit, lucis gratia venulavit: quod eum usque modo & in aqua ipsa & in aere per quotidianum solis occatum ac discellum facere videmus. Neque enim aquas nisi a Deo factas credere fas est, quod etiam hic Scriptura palam non dicit, palam tamen significat, cum has a Deo illustratas, atque ad iustum eius ordinatas inibat. sed & Psalmus dicit aperte: *Et aquae quae super caelos sunt, laudent nomen Domini: quia ipse dixit, & facta sunt. Ubi notandum, quod cum caelo in principio duo mundi huius elementa, aqua videlicet & terra nominatum facta memorantur, quibus tamen duo reliqua fuisse constat indita, ignem videlicet in ferro & lapidibus, quae terrae viscere jam tum condita latebant: eorum vero in ipsa terra, cui esse permixtus ex eo cognoscitur, quod cum fuerit humectata, & temperiem solis accepit, mox vapores exhalat largissimos. Ignem quoque ardentem terrae interioribus insitum calidi aquarum fontes producant, quae cum per certa quaedam metalla in profundo aquarum transcurrunt, non solum calidae, sed & ferventes super faciem telluris emanant. Non enim haec, ut quidam disputant, informiter invicem mixta, sed terra ipsi, quibus & nunc est, sinitibus undique versum circumscripta: talis nunc erat tota, qualis adhuc sub imo maris profundo ex parte remanet. Quod autem universam eius superficiem in tantam regebant altitudinem, ut ad illum usque locum pertingerent, ubi nunc usque super firmamentum caeli ex parte redeunt, nomen Dei creatoris caeli caelorum audare non debuit. Ad haec tantum informis est illa materies, de qua mundum esse factum testatur Scriptura, quae in Dei laudibus dicit: *Qui fecisti mundum de materia informi. Nam cuncta quae cum aqua & terra videre solemus in mundo, vel de ipsius exordium naturae, vel suspere de nihilo: ipsa autem terra & ipsa aqua propterea nomen sortitae sunt materiae informis, quia priusquam in lucem venirent, unde formositate haberent, non erat. Quid autem inconveniens, si mundanae materiae fuerat tenebrosa primordia, ut accedente luce melius quod factum est, redderetur: & tanquam proficientis hominis, quod postea futurum erat hoc modo, significaretur affectio. & exponente Apostolo ac dicente: *Quoniam Deus qui dixit tenebris lumen splendescere, qui illaxit in cordibus nostris. Unde alibi dicit: Fuisit aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino: illo videlicet qui cum tenebrae essent super faciem abyssi, dixit: *Fiat lux, & facta est lux, & Spiritus Dei ferebatur super aquas. Non est opinandum pueriliter, quod Spiritus creator, de quo scriptum est: *Quia Spiritus Domini replevit orbem terrarum: positione loci huius quae erant creanda, superferretur: sed intelligendum potius, quia virtute divina praecebat creatoris, habens in propria potestate, quando aquarum illustraret abyssum, quando in locum eas fecerent unum, ut apparet arida: quando & quomodo creaturas caeteras pro suo nutu diserneret, in similitudine videlicet fabri, cuius voluntas his, quae fabricandae sunt, rebus solet superferri, quod ipsum quoque ad distinctionem superioris caeli pertinet, in quo mox perfecte om-******

nia disposita Spiritus sancti praesentia illustrabat: non autem ut inferioribus, hoc est, huius mundi creaturis bonae primordia conditionis ex tempore ad perfectum deducere intendebat. Nam & idem Moyses superioris mundi tenebrae fecit mentionem, quia de mundo hoc, in quo homo factus est, ad instructionem generis humani sermonem facere instituerat, sufficere credens hominem creaturam spiritualis & invisibilis statum atque ornatum, uno caeli nomine, quod in principio factum dixit, comprehenderet. Corporalem vero, visibilem & corruptibilem creaturam, latius ex ordine describeret, i. tacitis eius, quae altiora quaeque & fortiora scrutati sunt hominum, illa potius quae essent a Deo praecipua sive promissa hominibus cogitanda proponeret. Unde etiam consule de casu preparatoris angeli & locorum eius penitus reticuit: quia hoc nimirum ad statum invisibilis illius ac spiritualis creaturae, cuius superioris & invisibilis creaturae S. Basilii in libro Hexameron secundo ita meminit: *Arbitramur enim, quia si fuit quippiam ante institutionem sensibilis huius & corruptibilis mundi, & profectum in luce fuit. Neque enim dignitas Angelorum omnium caelestium militum, vel si quid est, pertinebat nominatum aut incompellabile, aut aliqua rationabilis iustus, vel ministrator spiritus vel degere postea in tenebris, sed in luce & letitia decentem sibi habitum possidebat. Et bene autem cum in principio, i. in Filio Patrem fecisse caelum & terram praediceret, etiam spiritus tantum intulit mentionem, addendo: *Et Spiritus Dei ferebatur super aquas, ut videlicet totius simul Trinitatis in creatione mundi virtutem cooperatam esse signaret. Et dixit Deus: *Fiat lux, & facta est lux. Cognovit operibus Dei, ut mundi ornatum a luce inciperet: qui cum ipse be lux vera, lucemque inhabitat inaccessibilem, cuius beatissimam visione mox creati in caelis colorum Angeli jam perfrui coeperant: apte huic quoque seculo ornando primam materialis gratiam lucis donavit, ut esset unde caetera quae crearet, apparerent. Quod autem dixit Deus, sive ut lux fieret, sive ut alia quaeque perhibetur: non nostro more per sonum vocis corporeum fecisse credendus est, sed altius intelligendum dixisse Deum, ut fieret creatura, quia per Verbum suum omnia, i. per unigenitum filium fecit. De quo manifestius Evangelista Joannes: *In principio, inquit, erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt. Quod autem ait Joannes, omnia facta per Verbum Dei, hoc est quod Moyses ait, quia dixit: *Fiat lux, dixit fiat firmamentum: dixit fiat, & caetera creatura, hoc quod Psalmus adiuncta & Spiritus sancti personam dicit: *Verbo Domini caeli firmati sunt, & Spiritus oris eius omnia virtutis eorum. Si autem quaeritur quibus in locis iubente Deo facta sit lux, cum adhuc abyssus omne terra amplitudinem contereret. Patet profectum quia in superioribus eisdem terrae partibus, quae & nunc diurna solis lux illustrare consuevit, tunc principalis illa lux emicuit. Nec mirandum nobis divinam operationem lucem in aquis posse resplendere, cum & hominum operatione consistat eas sepius illustrari, nautarum videlicet, qui in profundo maris dimersu emisso ex ore oleo perspicuum sibi hoc ac lucidum reddunt. Si enim homo talia per oleum sui oris potest, quantum Deus per spiritum oris sui lucem creare posse credendus est, praesertim cum multo rariores quam modo in terris videre solemus: aequo in principio fuissent factae credendae sunt, priusquam in locum essent unum, ut apparet congregatae. Et vidit Deus lucem quod esset bona. Nam velut incognitam antea repente lucem videns laudavit, quia bonum didicit: sed eam quam laudabilem se facturum noverat, iam factam hominibus laude dignam ac mirandam esse declaravit. Verum quia non totas mundi tenebras luce dispulit, infusa (hoc enim superni est seculi fixa ac perpetua luce perfusa) sed ab una illi parte illustrans aliam reliquit obsecrata, recte subditur: *Et divisit lucem ac tenebras. Divisit namque eas non solum qualitatis, sed & locorum distantia. Lucem videlicet in superiore orbis parte diffundendo, in qua humana erat conversario futura: inferiora vero ejus praesens in tenebris remanere sinendo. Appellavit autem, dictum est, appellati fecit: quia sic distinxit omnia & ornavit, ut & dies cerni possent, & noctem accipere.*******

accipere.

accipere. Sic enim dicimus, Ille paterfamilias edificavit istam domum, i. edificari fecit, & multa talia per omnes libros divinarum scripturarum inveniuntur, hoc ad intellectum nostrum dictum est. Quia enim lingua appellavit Deus lucem diem, & tenebras noctem? Utrum hebraea, an graeca, an latina, an alia aliquaetia sic omnia quae vocavit, quae potest qua lingua vocaverit. Sed apud Deum purus intellectus est sine strepitu, & diversitate linguarum, factumque est vespere & mane dies unus. Factum est vespere occidere paulatim luce. Post expletum spatium diurnae longitudinis, atque inferiores mundi partes subeunte, quod nunc usitato solis circuitu noctibus agi solet: factum est & mane redeunte eadem paulatim supra terras, atque alium diem iniciante, & hac usque dies expletus est unus. xx. scilicet & iv. horarum, cuius commendationem verbi scriptura vigilanter admonet, ut lucem quae facta est, inferiora orbis occasu suo illustrasse discamus, Nam si non hoc faceret, sed magis factu vespere paulatim tota periret, ac rursum paulatim mane recreata resurgeret, non jam in mane diei sequentis, sed potius in vespere primi unum diceret esse diem perfectum, unde sicut vespere & mane, quae nocte ac diem factam dicere maluit: ut insinuaret iter primariae lucis actum esse circuitu, quod nunc circuitu solis die noctisque geri constat: praeter hoc solummodo quod post creatam sidera, nox quoque tamen in minore quae dies luce perfunditur, triduo autem illo primo tenebrosa proflus & obscura manebat, decebat namque omnimodis ut dies incipiens a luce, in mane diei sequentis esset protelatus: quatenus intimaretur opera eius qui est lux vera, & in quo tenebrae non sunt ullae, a luce inchoare, & in lucem cuncta esse completa. Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis, & fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quae erant sub firmamento, ab his quae erant super firmamentum, & factum est ita. Vocavitque Deus firmamentum caelum, & factum est vespere & mane dies secundus: hic nostri caeli, in quo fixa sunt sidera, creatio delineatur, quod in medio conflat firmamentum esse aquarum, Nam suppositas ei esse aquas, & ipsi in aere terrisque videmus: superpositas autem non solum huius scripturae auctoritate, sed & Prophetae verbis edocemur, qui ait: Extendens caelum sicut pellem, qui regis in aquis superiora eius. In medio ergo aquarum situm esse conflat siderum caelum, neque aliquid protuberet de aquis factum esse credatur: qui enim crystallini lapidis quantitas firmitas, quae sit perspicuitas ac puritas novimus, quae de aquarum concretionem certum est procreatum: quid obstat credi quod idem dispositum naturarum in firmamento caeli substantia solidaretur aquarum. Si quae verum movet, quomodo aquarum natura finiret semper, atque ad ima delabi super caelum consistere possint, cuius rotunda videtur esse figura: meminerit scripturae dicentis de Deo, Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum: & intelligat, quia qui infra caelum ligat aquas ad tempus cum vult, ut non pariter decendant, nullo firmioris substantiae c. epidine sustentatae, vel vaporibus solummodo nubium retentatae: ipse etiam potuit aquas super quorundam caeli sphaeram, ne unquam delabantur, non vaporali tenuitate, sed soliditate suspendere glaciale. Sed & si liquentes ibi aquas siltere voluit, non quid majoris hoc miraculi est, quae quod ipsam terram mole, ut scriptura dicit, appendit in nihilo. Nam & undae sive rubri maris vel fluvii Jordanis, cum ad transitum Israeliticarum plebis in altum erectae murorum instar figuntur, nonne evidens dant indicium, quod etiam supra rotunditate caeli volubile, fixa possit ratione manere: sane quales ibi aquae sint, esse tamen eas ibi quod scriptura sancta dixit, nulli dubitandum reliquit. Quid sit autem dicere Dei, Fiat haec vel illa creatura, iam supra dictum est. Dixit enim ut fieret, cum in coeterno sibi verbo unigenito videlicet filio cuncta creanda disposuit. Cum ergo audivimus, dixit Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis: intelligamus quod in verbo Dei erat ut fieret, in quo faciendum intus ante omne tempus praevidebat, quicquid foras Deus ex tempore fecit. Cum vero audivimus, Et fecit Deus firmamentum, & divisit aquas, quae erant sub firmamento, ab his quae erant super firmamentum, & factum est ita: intelligamus facta caeli aquarumque creationem ac dispo-

sitionem non excessisse praescripto sibi in verbo Dei terminos, iuxta illud psalmista: Praeceptum posuit, & non praeteribit. Quod aquae creaturae sequentibus quatuor diebus facta referantur, intelligendum est: ubi vero adjunctum audivimus, Et vidit Deus quod esset bonum, intelligamus in benignitate spiritus eius, non quae cognitum postea quam factum est, placuisse: sed potius in ea bonitate placuisse, ut maneret, ubi placebat ut fieret. Notandum enim, quod huius verbi adiectio hoc in loco in Hebraica veritate non habetur. Et mirum quare inter omnia quae creasse Deus legitur, hic solummodo, in secundi diei operibus, probatio divinae vilionis minime addatur, quae tamen ipsa cum ceteris quae fecit, Deo bona vita esse demonstrantur: cum in sequentibus dicitur, Viditque Deus cuncta quae fecit, & erant valde bona. Nisi forte sicut quidam patrum exponunt, intelligere nos in hoc scriptura voluit, non esse bonum duplicem numerum, qui ab unitate dividat: & praefigurat fœdera nuptiarum, unde & in arca Noe omnia animalia quae cumque bina ingrediuntur, immunda sunt, & impar numerus esse mundus ostenditur. De his sane quae haecenus exposita sunt, id etiam de creatione diei primi & secundi, in historia sancti Clementis ita refertur, dixit A. pololum Petrum: In principio cum fecisset Deus caelum & terram, tanquam domum unam, ipsaque ex corporibus mundi reddita est umbrabis quae intrinsecus clausa fuerant, tenebras ex se dedit. Sed cum voluntas Dei introduxisset lucem, tenebrae illae quae ex umbrarum corporum facie fuerant, continuo devoratae sunt, tum deinde lux in diem, tenebrae leputantur in noctem: jam vero aqua quae erant intra mundum, in medio primi illius caeli terraeque spatii, quasi gelu concretae, & crystalli solidatae distenduntur: & huiusmodi firmamento velut intercluduntur media caeli ac terrae spatia, idque firmamentum caelum conditor appellavit, antiquioris illius vocabulo nuncupatum, & ita totius mundi machinam, cum una domus esset, in duas divisit regiones. Divisum autem haec fuit causa, ut superna regio angelum habitaculum, inferior vero praerberet hominibus. haec nostro operi pauca inserere libuit, ut quantum hoc patrum sententia concordet, lecto agnoscat. Dixit vero Deus: Congregentur aquae quae sub caelo sunt in locum unum, & appareat arida factum, est ita. Subducuntur aquae quae inter caelum & terram univaria compleverant, & unum congregantur in locum: & lux, quae praeterito biduo aquas clara illustrabat, clarior purior in aere splendesceret: & terra quae latebat, apparet, quaeque contexta aquis limosa manebat, & invalida, harum abscessu redderet arida, & suscipiendis germinibus apta. Si quis vero quaerit ubi congregatae sunt aquae, quae omnes terrae partes ad caelum usque cooperuerant: sciat fieri potuisse, ut terra ipsa longe lateque iussu creatoris subdens alias partes praerberet concavas, quibus confluentes aquae reciperentur, ut apparet arida ex his partibus, unde humor abscederet ut arida. Non est etiam non absurde credi rariore sicut & supra commemoravimus, primarias fuisse aquas, quae velut nebulas terras tegeant. Congregatione autem esse ipsas, quae datis sibi locis capi possent, apparet arida in reliquis. Bene autem cum multa consistet esse maria, in locum tamen unum congregatas dicit aquas: quia videlicet cuncta haec in jungenda, atque continua oceano ac mari junguntur magno: sed & qui lacus in fœmetiis videntur esse circumscripti, & hos ferunt occultis quibusdam perforatos cavernis, in mare suos evolere meatus. Nam & fossiores puteorum hoc probant, quia tellus omnis per invisibiles venas aquas est repleta manantibus, qui attrahunt ex mare principium. Et vocavit Deus aridam terram, congregationemque aquarum appellavit maria. Prius quidem ad distinctionem aquarum rotam hanc solidiorem mundi partem appellavit terram cum diceret: In principio creavit Deus caelum & terram, terra autem erat inanis & vacua: at nunc postquam formari iam mundus incipit, & aquis suum in locum recedentibus terrae facies apparet, ad distinctionem partis eius adhuc aquis premebatur, cetera portio quam aridam esse dicebat, terrae nomen accepit: inde dicta latine, quod animalium pedibus teratur. Congregationes aquarum appellantur maria, videlicet proxima sui parte. Nam & apud Hebraeos cunctas aquarum congregationes sive lalig-

seu sint dulces, appellari dicunt maria. Et aptè qui prius propter continuationem omnium, quæ in terris sunt aquarum, in locum unum eas dixit congregatas: nunc & earum congregationes pluraliter nominat, & hæc appellari maria pluraliter dicit, propter videlicet multos eorum earundem sinus, qui diversa pro regionum vocabulis & ipsa nomina sortiuntur. Et vidit Deus quod esset bonum. Necdum terra germinabat, necdum vel ipsa vel aquæ animantia viva prodixerunt, & tamen videre dicitur Deus quod esset bonum cedentibus aquis apparuisse aridam: quia videlicet aquæ estimator universitatis prævidens, quæ futura sunt, quasi perfecta jam laudat, quæ adhuc in primi operis exordio sunt, nec mirum apud quem rerum perfectio consummatione operis, sed in lux est prædestinatione voluntatis. Et ait. *Germinet terra herbam virentem & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram, & factum est ita.* Et protulit terra herbam virentem & asserentem semen juxta genus suum, lignumque, faciens fructum, & habens unamquodque seminem secundum speciem suam: & vidit Deus quod esset bonum, factumque est vespere & manes tertius. Patet ex his Dei verbis, quia verno tempore mundi est perfectus ornatus. In hoc enim solent herbæ virentes apparere in terra, & ligna pomis onulari: simulque notandum, quod non prima herbarum arborumque germina de semine, sed prodire de terra. Nam ad unam conditoris iussione terra quæ arida parebat, repente herbis compta, & nemoribus est vestita florentibus, atque hæc continuò sui quæque generis poma ex se, ac semina prodixerunt. Oportebat enim ut forma quæ rerum ad imperium Domini primo perfecta procedere, quomodo & homo ipse, propter quem omnia facta sunt in terra perfecta, hoc est, juvenilis ætatis plasma esse credendum est. Dixit autem Deus, *Fiant luminaria in firmamento cæli: decente satis ordine mundus ex materia informi congruam procedit ad formam.* Postquam enim ante omnem hujus seculi diem cælum, & terram, & aquam Deus creavit, hoc est, superiorem illum & spiritalem cum suis incolis mundum, & informem totius hujus mundi materiam, juxta hoc quod scriptum est: *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Primo hujus seculi die lucem fecit, quæ cæteras creaturas speciei capaces redderet. Secundo firmamentum cæli, superiorem videlicet hujusmodi partem, in aquarum medio solidavit. Tertio in inferioribus mare terræque suis diserevit finibus, aeremque suis in locis cedente aqua dissudit. Oportuit ergo ut eodem quo creata sunt ordine profecto caperent elementa amplioris ornatus, id est, quarto die cælum luminariibus insigneretur. Quinto aer & mare, sexto terra suis impleretur animantibus. Namque die tertio terra herbis est arboribusque vestita. Non ad ornatum ejus, sed ad ipsam ut ita dixerim, figuræ ejus lucificem pertinet. Dixit ergo Deus, *Fiant luminaria in firmamento cæli, ut dividant diem ac noctem: ea videlicet divisione, quæ in sequentibus explicatur apertius, ut sol quidem diem, luna verò & stellæ illustrent noctem; hoc enim factis sideribus ad augmentum primariæ lucis accessit, ut etiam nox luminosa procederet, vel luna utiq; splendore, vel stellarum vel utroque irradiata, quæ cæteris nil præter tenebras noverat antiquas. Nam etsi nobis æpissimè nox tenebrosa videtur, & cæca, obscurato videlicet nebulosis turbibus aere, qui terræ proximus est: superiora tamen illa spacia, quæ ætheris nomine consentunt, & à turbulento hoc aere usque ad sidereum pertingunt cælum, semper ob siderum circumferentiam reddunt lucida fulgorem. Sed & hoc divini muneris exorta sidera cum additamento lucis mundo attulerunt, ut distincto quo temporum labentium per ea posset dignoscere unde sequitur: *Et sint in signa & tempora, & dies & annos: quia nimirum prius quam sidera fierent, non erat quibus ordo temporum adnotaretur indicium; non erat unde meridiana hora dignosceretur, antequam sol medium cæli conscenderet igneus vrbem, non unde cæteræ diei noctisque signarentur horæ, donec altra polim æquali in-**

ter se forte die noctuque dividerent. Sunt ergo luminaria in signa & tempora, & dies & annos: non quod à conditione eorum tempore cæperint, quæ cæpisse constat à principio, quo fecit Deus cælum & terram, vel dies & anni qui originem sumpserunt, & quod dixit Deus, *Fiat lux, & facta est lux:* sed quia per ortus eorum sive transitus temporum ordo dierumque annorumque signatur. Nam totum illud triduum superius in discreto cursu sui processu tranfierat, nullam penitus dimensionem habens horarum, utpote quia lumine primario adhuc generaliter omnia replente, nullumque caput habente, quod nunc de sole accipit, nusquam radii ardentes illuxerant. Nulla sub caute vel arbore quasi remotior umbra frigeat, sed & ex accepta adnotatione tempore sunt luminaria in singula hujus vitæ usus necessaria, quæ vel nauta in gubernando, vel in desertis æthiopia arenosis, qui que viantes observant: ubi cum levissimo venti impulsu cuncta, mox quæ inventa fuerint, itinerantium vestigia complanantur. Ideoque non minus illis in regionibus euntes, quam qui in mari navigant nocte dieque signis egent siderum. Sunt item in signa, quia nonnumquam aeris quoque qualitas, quæ sit ventura horum contemplatione prævidemus, *ut luceat in firmamento cæli, & illuminent terram, & factum est ita.* Semper quidem in firmamento cæli luminaria lucent, ut diximus, & proxima ei loca claro lumine perfundunt, sed temporibus opportunis illuminant terram. Namque aliquoties nubilosus obstitit aer, ne vel luna cum parva est, vel stellarum lumen terris appareat: sed exortus sol lunam stellamque majore lumine, ne terram illuminent impedit: unde & nomen latine accepit, quod solus obtulis una stellis cum luna per diem super terras fulgeat. *Fecit quoque Deus duo magna luminaria.* Luminaria magna possumus accipere, non tam aliorum comparatione, quam suo munere, ut cælum magnum, & mare magnum. Nam & magnus sol qui complet orbem terræ suo calore, vel luna suo lumine, quæ in quacunque parte fuerit cæli illuminent omnia, & æquè spectantur à cunctis; exemplum magnitudinis eorum evidens, quod omnibus hominibus orbis ipsorum idem videtur. Nam si longè positus minor videretur, & propius constitutus major retulgeret, proderet exiguitatis indicium. *Luminare majus ut præcesset diei, & luminare minus ut præcesset nocti: & stellæ, & posuit eas in firmamento cæli.* Luminare majus est sol, non solum forma sui qualicumque est corporis, sed etiam magnitudine luminis, quæ & ipsum luminare minus & stellæ illustrare creditur: majus est & virtute ardoris, quæ mundum calefacit exortum cum præteritis ante ejus creationem diebus nil omnino caloris habuisset: quod autem æqualis, uniusque magnitudinis luna cum sole certitur, ex eo fieri dicunt, quod ille merito longinquior à terris atque altior quam luna incedat: ideoque magnitudo ejus quanta sit, nequaquam à nobis, qui in terris degimus, valeat dignosci. Omnia enim longius posita solent breviora videri. *Et luminare, inquit, minus ut præcesset nocti, & stellæ, & posuit eas in firmamento cæli:* quia etiam lunam omni mense, si aliquoties & stellæ majores in die videri contingat, nequaquam eas diei, sed nocti solum modo lucis solatium aliquid asserere certissimum est, ut lucerent super terram, & præcessent diei ac nocti, & dividerent lucem ac tenebras, hæc & de luminariibus magnis, & de stellis intelligi possunt, ea tantum distinctione, ut quod dictum est, & præcessent diei, ad solem specialiter: quod subjunctum, & nocti, ad lunam & stellæ pertineat: quod verò subintertur, *Et dividerent lucem ac tenebras:* omnibus quæ sideribus conveniat, quæ vbi cunq; incedunt, lucem secum circumferunt: vbi autem absunt, tenebrosa relinquunt cuncta. Sin autem quaerit aliquis, quale poterit esse lumen diurnum ante creationem siderum, non ab re est credi quod tale fuerit, quale videmus quotidie mane proximante, scilicet solis ortu, sed necdum terris apparente, quando lucet quidem obtusis stellarum radiis dies, sed minime adhuc dicitur, sol oritur, resurgit. Unde nulla tunc esse discretio temporum præter diei

folium & noctis poterat. meritisque factis sideribus dictum est: *Et sunt in signa, & tempora, & dies, & annos.* ceperunt namque dilacerari temporum vices, ex quo sol die quarto mundi nascens à medio procedens Orientis, & quinoctium vernale suo consecravat exortu, & quotidianis profectibus ad alta cœli culmina scandendo: rursusque à solstitiali vertice ad infima paulatim descendendo, nec mora ab infimis hæmeris que locis, & quinoctialis gyros repetendo discretis temporibus quatuor notissimis, diebusque præfinitis anni spatium complevit. Sed & luna vesperè plena apparetur æquè in celebrationem paschæ servanda erant tempora, primo suo præfixit ascensu. Ipsa est enim hora, quam non solum antiquus ille populus Dei, sed & nos hodie primam in agendo paschæ servamus, cum æquinoctii die transiens plena vesperè luna, hoc est, quartadecima in faciem cœli providerit. Nam mox post hæc ut dominicus dies advenit, aptum hoc celebrandæ resurrectionis dominicæ tempus intabit. Completo ad literam quoque P. ophetæ verbo, qui dixit: *Fecit lunam in tempore, sol cognovit occasum suum.* Stellæ quoque, ex: pro eo quod supra diximus, quia vel suâ specie quæ sit futura qualitas aëris, vel suo cursu quæ sit vigilia noctis, ostendunt. *Sunt in signa & tempora,* quia hæc in cœlum venientes æstiva tempora, ipsæ delignant hyberna. *sunt & in dies:* quia istæ vernis diebus solent, illæ comitantur autumnalibus: *sunt & in annos,* quia quæ nunc, verbi gratiâ in æquinoctio vetero matutinæ oriuntur, ipsæ omnibus annis in eodem æquinoctio in cœli faciem veniunt: quæ nunc in solstitio vesperè vel manè, hæc semper in illo eisdem horis oriuntur. Sed & quædam sunt stellæ, quas planetas, id est, errantes vocant Astrologi, quæ majores annos suo circuitu faciunt, quo ad eundem cœlestem locum redeunt. Nam stella quæ Saturni dicitur, e. g. in annis quæ Jovis, duodecim annis: quæ Martis, duobus annis tertur solaribus circuitu cœli expleto ad eadem loca rediit, quibus fuerant antea redire. Lunam quoque cum duodecies spatia sui cursus peregerit, annum facit communem, id est, dierum trecentorum quinquaginta quatuor, & ut anno solari possit concordare circuitus, tertio quoque vel secundo anno tertiumdecimum addit mensuram, quem embolismum vocant annum calculatores, & de diebus trecentorum octoginta quatuor. *Et vidit Deus quod esset bonum:* necessitati sanctæ Scripturæ multo tates reperit, quod vidit Deus bona esse quæ fecit, ut hinc informaretur pietas fidelium: non pro humano sensu, qui sæpè etiam bonis rebus offenditur, quorum causas atque ordinem nescit, de creatura visibili atque invisibili iudicare, sed laudanti Deo credere & cedere. Tantò quique facilius aliquid p. officiendo cognoscit, quantò religiosius, antequam cognosceret, Deo credidit. Vidit ergo Deus quod essent bona quæ fecit: quomodo quæ faciendæ placebant ut fierent, facta placuerunt ut manerent, quantum cuique rei existendi sive manendi à tanto fabricatore fuerat consti tuenda mensura. *Factum est vespere & manè dies quartus:* hæc est vespera illa memoranda, in qua populus Dei in Ægypto in celebrationem paschæ obtulit agnum manè. Quod primum post exillum longæ servitutis jugum cepto libertatis itinere vidit. Scriptum est dicente Domino ad Moysen: *Mensis iste vobis principium mensium primus erit in mensibus anni. Decimè die mensis huius tollat unusquisque annum per familias & domos suas. Et servabit eam usque ad quatuordecimum diem mensis huius, immolabitque eam universa multitudo filiorum Israël ad vesperam, &c.* Quia etiam vesperâ ad consummanda paschæ legalis sacramenta, Dominus noster postmodum agni typici mysteria nobis sui corporis & sanguinis ad celebranda initiavit: quo lucescere mane quasi agnus immaculatus suo nos sanguine redimens, à demoniacâ dominationis servitute liberavit. Quæ videlicet lunæ plenissimæ dies in creatione quidem mundi processit quarta, at in tempore dominicæ passionis altioris gratia sacramenti, in quintam sabbathi incidit: ut videlicet Dominus sexta sabbati crucifixus, sabbato ipso in sepulchro quiesceret, ac primam sabbati suâ resurrectione consecra-

ret, & nobis quoque in ea, in qua & lux facta est, resurgendi à mortuis ad lucem perpetuam intrandi fidem spemque donaret. Dixit etiam Deus: *Producant aquæ reptile anima viventis, & volatile super terram sub firmamento cœli.* Post ornata quartâ die cœli faciem luminaribus, ornatur consequenter quintâ inferiores mundi partes, aquæ videlicet & aëris, quæ spiritu vitæ moven ut: quia & hæc elementa quadam quasi cognatione & sibi ad invicem & cœlo copulantur. Sibi quidem, quia natura aquarum aëris qualitate proxima est. undè exhalationibus earum pinguescere probatur, ita ut nubila contrahat, & pellit volatus avium sustinere, testante Scripturâ: *Quia subitò aër cogetur in nubes, & ventus transiens fugabit eas.* Denique per noctes etiam leenas roras, cujus roris guttæ manè in herbis inveniuntur: cœlo autem junguntur hoc modo, quia ad eum vicinus est ei aër iste, ut & ipse nonnunquam ejus nomen accepit, sicut volatilia cœli cognominat Scriptura, quæ volare constat in aère: & Dominus ipse turbis, quæ tempus adventus sui de vir utum ostensione non cognoverant, loquitur dicens: *Cum videritis nubem orientem ob occasu, statim dicitis, nubes venit, & ita fit: & cum austrum flantem, dicitis quia ventus erit, & sic hypocrite faciem terræ & cœli nostis probare, hoc autem tempus quomodo non probatis?* Ubi certum est, quia faciem cœli non aliam, quam variantem humi statum aëris appellat. Dixit ergo Deus: *Producant aquæ reptile anima viventis, & volatile super terram sub firmamento cœli.* Et ne forte quæ sunt aquarum animalia, quæ non reptando, sed nando, vel pedibus ambulando incedunt: sunt inter volatilia, quæ ita penas habent, ut omni usu volandi careant, putare quisque aliquod genus volatiliū sive aquatiliū animantium in hoc Domini verbo esse prætermisissimū, vigilantèr adiungitur: *Creavitque Deus cete grandis, & omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile se cundum genus suum.* Natum igitur genus exceptam est, uoi cum cetis grandibus creata est omnis anima vivens, eorum quæ produxerant aquæ in species diversas: hoc est, in reptilium, & natatiliū, & volatiliū. Sed & eorum quæ nullâ arte inces: si fixa cautibus inhærent, ut sunt plurima concharum genera. Quod autem dicitur: *Et volatile super terram sub firmamento cœli:* nil rationi veritatis oblitur, quia nimium & h immenso interfacienti spatio, sub sidereo tamen cœlo volant aves, quæ super terram volant: quomodo tam nos homines in terra positi, sub cœlo ac sole esse constituti veraciter & rectè dicimur, attestante Scripturâ quæ ait: *Qui erant in Hierusalem habitantes iudei viri religiosi, ex omninatione qua sub cœlo est.* Et quid habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub sole? sanè juxta a iam translationem moveri nonnullos, quod dictum est: *Et volatilia volantia secundum firmamentum,* id est, juxta firmamentum cœli. Sed intelligendum est, quod ideò dictum sit volare aves secundum firmamentum cœli, quia hoc nomine etiam æthera indicetur. Hoc est, superius illud aëris spatium, quod à turbulento hoc & caliginoso loco, in quo aves volant, usque ad æthera peringit, & esse tranquillum profus, ac luce plenum non immeritò creditur. Nam & errantia sidera septem, quæ in hoc ætheris spatio vaga ferri perhibentur, Scriptura in firmamento cœli esse postea dixit. Idèoque aves rectè dicuntur secus firmamentum cœli volare, quia vicina sunt, ut dixerim ætheri, turbulenta hæc aëris spatia, quæ volatus avium sustinent. Nec mirandum, si æther firmamentum cœli nominetur, cum aër appellatur cœlum, ut supra docuimus. Nec prætereundum, quod creâse dicitur Deus omnem animam viventem, additum est: *Atque motabilem,* ad distinctionem videlicet hominis, quem facturus erat ad imaginem & similitudinem suam, ita ut si ejus præcepta servaret, perpetuâ viveret incommutabilitate beatus. Nam animalia cætera ita sunt primâ mox conditione facta, ut vel alia aliis in alimoniam cederent, vel ipsa suo senio deficientia perirent. *Et vidit Deus quod esset bonum, benedixitque eis dicens: Crescite & multiplicamini, & replete aquas mari, avesque multiplicentur super terram. Et*

factum est vespere & mane dies quintus. Quod dixit: *Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris*, ad utrumque genus animantium de aquis factorum: hoc est, ut ad pisces pertinet, & aves. Quia sicut pisces omnes non nisi in aquis vivere possunt, ita sunt pleraque aves, quæ etsi in terris aliquando requiescunt, fortissime propagant, non tamen de terra, sed de mari vespuntur, marisque sedibus libentius utuntur quam terrestribus. quod verò subjungit: *Avesque multiplicentur super terram*: ad utrumque genus avium, hoc est, & earum quæ de aquis, & earum quæ vespuntur de terra, respicit: quia videlicet etiam illæ, quæ sine aquis vivere nesciunt aves, ita ut multo sæpè anni tempore sub profundo aquarum, quomodo pisces lateant, nonnunquam egred: super terram solent, maxime cum sœtent & nutriunt pullos. Dixit quoque Deus: *Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, & reptilia, & bestias terra secundum species suas, factumque est ita*. Post radiaurum sideribus cœlum, post impletum volatilibus æreem, qui ob viciniam cœli nomen meruit: post locupietatas suis animantibus aquas, quæ & ipsæ aëri sunt magis à naturæ vicinitate conjunctæ, unde & de illis sumptis animantia, de illis imbres, nives, grandines, & cætera sumit hujusmodi: consequens erat, etiam terram suis animantibus, hoc est, ex se genitis impleri. Nam & ipse præcipuam habet cognationem cum aquis, ut potè qui sine harum succo & irrigatione non solum fructificare, sed & nec ipsa consistere possit, Pet: o attestante qui ait: *Quia cœli erant prius, & terra de aqua, & per aquam consistens Dei verbo*. Jubet ergo producere Deus terram jumenta, & reptilia, & bestias terræ: quia verò nomine bestiarum omne quicquid ore vel unguibus lavit, exceptis serpentibus, constat esse comprehensum: nomine autem reptilium terræ etiam serpentes continentur, nomine verò jumentorum, ea quæ in usu sunt hominum, animalia designantur. Ubi ergo conditio describitur cæterorum quadrupedum, verbi gratiæ cervorum, capreatum, bubalorum, & aprorum, cæterorumque hujusmodi, nisi fortè ob ferocitatem indomitæ mentis inter bestias esse adnumerata dixerimus: juxta antiquam sanè translationem, in qua scriptum est: *Ejicit terra animam vivam secundum genus quadrupedia, & reptilia, & bestias terra*: nilominus quæstionis est, quia videlicet nomine quadrupedum omnia comprehensa sunt, quæ exceptis bestiiæ & reptilibus terra produxit, sive quæ sub cura humana, seu quæ sunt fera & agrestia. Et fecit Deus bestias terra juxta species suas, & jumenta, & omne reptile terra in genere suo. Notanda transmutatio verborum, quæ supra dicta est, quòd producere jussit Deus terram & jumenta, & reptilia, & bestias terræ: nunc autem mutato ordine fecisse dicitur Deus bestias terræ, & jumenta, & omne reptile terræ: & intelligendum, quia dicto citius omne quod voluit, fuit: nihilque differet, quòd loquela humana prius in creaturarum ordine nominet, quas divina potentia condidit simul cunctas. Cum autem sequitur: *Et vidit Deus quòd esset bonum*: quæritur meritò, quare non etiam hic addatur illud, quòd dictum est de eis, quæ aquæ producerant de animantibus: *Benedixitque eis, dicens: Crescite & multiplicamini, & replete terram*, an fortè quòd de prima creatura animæ viventis dictum est à Deo, commendaverit, etiam de secunda nobis subintelligendum reliquit, maxime quia in hujus diei operibus plura erant alia subjuncturus. Porò de homine factò hoc necessariò iterare curavit dicens: *Benedixitque illi Deus, & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram*. Ne quis honorabili conubio in esse peccatum, thorumque fornicati ac fornicationi putare esse comparandum. Facta autem atque ornata habitatio mundana, supererat ut ipse etiam, propter quem omnia parabantur, habitator ac Dominus rerum homo crearetur. Sequitur: *Et ait: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Nunc apparet evidentiùs, quare de creatis herbis & arboribus, piscibus & volatilibus, terrestribus quoque animantibus dictum sit: *ut fierent singula juxta genus & species suas*. Præviderat enim futura eius creatio, & qui non solum suo genere similitu-

dine congrueret & specie, sed etiam ad imaginem sui creatoris & similitudinem fieret. Cujus nobilitati creationis etiam hoc testimonium dat, quòd non sicut in cæteris creaturis, dixit Deus: *Fiat homo, & factus est homo*; vel, *Producat terra hominem*, sed *produxit terra hominem*: sed priusquam fieret, *Faciamus* dicitur, ut videlicet quia rationalis creatura condebatur, quali cum consilio videretur facta. Quali per studium de terra plaimatur, & inspiratione conditoris in virtute spiritus vitalis erigitur, ut scilicet non per jussionis vocem, sed per dignitatem operationis existeret, quia ad conditoris imaginem fiebat. Cum autem dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: unitas sanctæ Trinitatis aperte commendatur, hujusmodi ea individua Trinitas in præcedente rerum formatione mysticè erat insinuata, quando dicebatur: *Et dixit Deus: Fiat: & Fecit Deus: & Vidit Deus quòd esset bonum*. Nunc autem manifestius hæc ipsa insinuat, cum dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, & rectè, quia donec is qui doceretur, non erat, in profundo fuit abdita prædicatio deitatis: ubi verò cœpit hominis expectari creatio, revelatur fides, & evidenter dogma veritatis emicuit. Ideò enim quod dicit: *Faciamus*, una ostenditur trium Personarum operatio: in eo verò quòd sequitur: *Ad imaginem & similitudinem nostram*, una & æqualis substantia in eisdem Trinitatis dicitur. Quomodo enim una esset imago & similitudo, si minor Patre Filius, si minor esset Filio Spiritus sanctus, si non consubstantialis ejusdem potestatis esset gloria totius Trinitatis: aut quomodo diceretur: *Faciamus*, si trum in una Deitate personarum cooperatrix virtus non esset? Neque enim Angelis à Deo dici poterat: *Faciamus ad imaginem & similitudinem nostram*: quia nulla prorsus ratio limit, ut Dei & Angelorum unam esse eandemque imaginem sive similitudinem credamus. In quo autem sit homo factus ad imaginem & similitudinem Dei, testatur Apollolus, cum nos solerter admonet, ut hanc, quam in primo parente perdidimus, per gratiam ejusdem conditoris recuperemus in nobis. *Renovamini*, inquit, *spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis*. Creatus est ergo Adam novus homo de terra secundum Deum, ut esset justus, sanctus, & verus, & subditus, & humiliter adhaerens gratiæ suæ conditoris, qui æternaliter ac perfecte justus, sanctus, & verus existit. Qui quoniam pulcherrimam hanc novitatem in se divine imaginis peccando corrupit, corruptamque ex se prospatim generis humani procreavit. Unde venit secundum Adam, id est, Dominus ipse & conditor noster, natus ex Virgine, creatus incorruptibiliter atque incommutabiliter ad imaginem Dei, id est, immunis omnis delicti, & plenus omnis gratiæ & veritatis, ut imaginem in nobis suam ac similitudinem exemplis suis restaret & donis. Ipse est enim novus homo veraciter secundum Deum creatus: quia nimirum ita veram de Adam carnis substantiam sumpsit, ut nil de illo vitii sordentis traheret. Cujus exempla pro capto nostro sequi, cujus adhærere donis, cujus obtemperare mandatis, hoc est imaginem Dei, quam in veteri homine perdidimus, recuperare in novo, non ergò secundum corpus, sed secundum intellectum mentis ad imaginem Dei creatus est homo. Quamquam & in ipso corpore habeat quandam proprietatem, quæ hoc indicet, quòd erecta statura est factus: ut hoc ipso admoneretur non sibi esse terrena sectanda velut pecora, quorum voluptas omnis ex terra est, unde in alvum cuncta prona atque prolifera sunt, juxta quòd quidam Poëtarum pulcherrimè ac verissimè dixit:

*Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cælumque videre,
Ipsæ & erectos ad sidera tollere vultus.*

Congruit ergò & corpus ejus animæ rationali, non secundum lineamenta figuræ; membrorum, sed potius secundum id quod in cælum erectum est, ad intuentia quæ in

corpore ipsius mundi superata sunt. Sicut anima rationalis in ea debet erigi, quæ in spiritualibus natura maximè excellunt, ut quæ sursum sunt sapiant, non quæ super terram. Bene autem additur, *Et præfuit piscibus maris, & bestis universæ terræ, omnique reptilibus quod movetur in terra*: quia nimirum in hoc maximè factus est homo ad imaginem Dei, in quo irrationalibus animantibus antecellit. Capax videlicet rationis conditus, per quam & creata quæq; in mundo rectè gubernare, & ejus qui cuncta creavit, posset agnitione perfrui; in quo honore positus, si non intellexerit ut bene agat, eidem animantibus insensatis, quibus prælatus est comparabitur. Sicut & Psalmista testatur, *Et creavit Deus hominè ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum*. Quod prius dixerat, *Ad imaginem suam*, confirmationis gratia geminavit, addendo, *Ad imaginem Dei creavit illum*; ut diligentius inculcaret nobis, quales à Deo facti sumus, & spem recipiendæ Dei imaginis ætius nostris mentibus infigeret. Ne qui imagine Dei ambulamus, vanè conturbemur, thesaurizantes in incerto divitiarum, sed expectemus portum Deum. Sitientes quando veriamus & pareamus ante faciem ejus, certi quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Quod autem dicitur, *Ad imaginem Dei creavit illum*, cum superius dictum sit, *Faciamus ad imaginem nostram*, significat, quod non id agat illa pluralitas personarum, ut plures deos credamus: sed Patrem & Filium & Spiritum sanctum, propter quam Trinitatem dictum est, *Ad imaginem nostram unum Deum accipiamus*, propter quod dictum est, *Ad imaginem Dei masculinum & feminam creavit eos*. Plenus in sequentibus, unde & quomodo protoplastos fecerit Deus exponitur. Sed nunc brevitate causa tunc creati referuntur, ut sexti diei operatio, ac septimi dedicatio cum cæteris explicetur, ac sic ex tempore liberius & hoc & alia prætermissa quæ erant, relata digna dicantur. Masculinum autem unum, & feminam in primis Deus creavit unam, non ut animantia cætera, quæ in singulis generibus non singula sed plura creavit: ut per hæc humanum genus arctiore ad invicem copula charitatis constringeret, quod se ex uno totum parente ortum esse meminisset. Cujus causa unionis scriptura sacra cum dixisset, *Et creavit Deus hominè, ad imaginem Dei creavit illum*; ita tunc subiungeret: *Masculinum & feminam creavit eos* noluit addere: *Ad imaginem Dei creavit eos*. Et femina enim ad imaginem Dei creata est, secundum id quod & ipsa habebat mentis rationalem: sed addendum hoc de illa non putavit scriptura, quod propter unitatem conjunctionis etiam in illa intelligendum reliquit, immò in omni quod de eis ortum est genere humano intelligendum esse significavit. Omnis enim homo etiam nunc in quantum ratione utitur, imaginem in se Dei habet. Unde dicit Joannes: *Et erat enim lux vera quæ illuminat omnem hominè venientem in hunc mundum*. Ipsum est enim lumen de quo Psalmista gloriatur Domino dicens: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Et quidem aptè hoc in loco masculinus & femina creati esse commemorantur. Tamen si modus ejusdem creationis necdum referatur, ut videlicet habeat locum congruum sermo divinæ benedictionis. De quo sequitur, *Benedixitq; illis, & ait, Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subjugate eam*. Hæc etenim multiplicatio hominū, non nisi per conjunctionem erat maris & feminæ perficienda. Si autem benedictione Dei crevit & multiplicatur genus humanum, quanta sunt maledictione digni, qui prohibent nubere, & dispositionem cælestis decreti quasi à diabolo reperi condempnant? Non ergo dammandæ sunt nuptiæ, quas ad propagationem generis humani, terram que replendam, superne gratia benedictionis instituit: sed magis honoranda major est digna benedictione virginitas, quæ postquam impleta est terra hominibus, casta mente simul & corpore agnum quocunque ierit, id est, Dominum Jesum in cælestibus sequi, & canticum novum quod nemo alius potest ei cantare, desiderat: Deus namque ac Dominus noster, qui in primordio mundi nascens, feminam ex virili latere formavit, ut mutua illorum conjunctione terram esse implendam doceret: ipse in fine sæculi assumpsit virum de carne virginis, totus contagionis ex-

pertem, tota divinitatis plenitudine perfectum, ut virginitatis se gloriam potius quam nuptias diligere probaret. *Et dominavit piscibus maris, & volatilibus cæli, & universis animantibus super terram*. Merito quaeritur, in qua utilitate homo dominatum in pisces, & volucres, & animantia terræ cuncta perceperit, vel quos ad usus, quæ vel solatia sint hæc creati hominis, si nunquam peccaret. Cui sicut se quentia scripturæ hujus declarant, non hæc ad escam se habere solum, & arborum sunt fructus in prima conditione concessi: nisi forte dicendum est, quia peccatorum præstiebat Deus hominem, & mortalem peccando futurum, quem immortalem ipse creavit, ideoque ea illi solatia primordiallyter instituit, quibus tuam fragilitatem mortalis possit tueri, vel aimentum videlicet ex his, vel indumentum & laborum vel itineris habens adjumentum. Nec quælibet dignum est, quare non etiam nunc cunctis homo dominetur animantibus: postquam enim ipse suo conditori subiectus esse noluit, perdidit dominium eorum, quæ suo conditor juri subjecerat. Sedique in testimonium primæ creationis legimus vitis sanctis atq; humiliter Deo servientibus, & aves obsequium præbuisse, & rictus bestiarum cessasse, & venenum nocere non potuisse serpentium. Dixitque Deus: *Eccè dedi vobis omnem herbam asserentem semen super terram, & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ omnique volucri, & universis quæ moventur in terra, & in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum*. Jam hic patet, quod ante reatum hominis nil noxium terra proculit, nullam herbam venenatam, nullam arborem sterilem: cum manifestè dictum sit, quod omnis herba & universa ligna data sint hominibus ac volatilibus, terræ quoq; animantibus cunctis in escam. Patet quia nec ipse aves raptu infirmorum alitum vivebant, nec lupus indias explorabat ovilia circum, nec serpenti pulvis panis ejus erat: sed universa concorditer herbis virentibus, ac fructibus vescabantur arborum. Sanè inter hæc non prætereunda nascitur quaestio, quomodo & immortalis sit factus homo præ aliis animalibus, & nihilominus accepit communiter terrenam cum illis alimoniam? In qua intuemus nobis est, quia alia est immortalitas carnis, quam in prima conditione in Adam accepimus: alia quam nos in resurrectione per Christum accepturos esse speramus: ita quippe immortalis factus est ille, ut posset non mori, si non peccaret. Sin autem peccaret, moreretur; ita verò immortales erunt filii resurrectionis, cum erunt æquales Angelis Dei, ut nec mori ultra, nec peccare possint; ideoque caro nostra post resurrectionem nulla eger refectioe ciborum, quia ei nulla suppetitiosa fame, seu lassitudine, vel alia qualibet infirmitate defectio. Caro autem Adæ ante peccatum ita est immortalis creata, ut adminiculis adjuva temporalis alimonie mortis expers, ac doloris existeret, donec corporalibus incrementis ad illam usque perductus ætatem, quæ conditori placeret: tum creata progenie multa hujusmodi jam jubente ipso, sumeret etiam de ligno vitæ, ex quo peccati immortalis effectus, sustentacula cibi corporalis ulterius nulla requireret. Sic ergo immortalis & incorruptibilis est condita caro primorum hominum, ut eandem suam immortalitatem atque incorruptibilitatem per observantiam mandatorum Dei custodirent: in quibus mandatis erat ut de lignis paradisi concessis vescerentur, ut interdicti autem se esu temperarent, per horum edulium indita sibi immortalitatis dona conservarent, in illius tactu ruinam mortis invenirent. Sic verò incorruptibilis & immortalis in fine erit caro nostra, ad similitudinem angelicæ sublimitatis, ut in eodem semper statu permaneat: neque cibus corporalibus quippe qui in vita spiritali nulli eunt, egerere possit. Nā quod angeli cum Patriarchis manducasse leguntur, non indigentia causa, sed benignitatis agebant, ut videlicet hæc agendo dulcius hominibus, quibus apparebant, congruerent. Dominus quoq; post resurrectionem manducavit cum discipulis ut veram post mortem recepisse carnem monstraret. *Et factum est ita*, id est, ut dominaretur homo cum-

tis quæ in terra vel aquis creata sunt, & ut facultatem potestatemque edendi de fructibus terra cum volatilibus cæli animantibus perciperet. *Viditque Deus cuncta quæ fecit, & erant valde bona:* quia de singulis Dei operibus longè latius fuerat dictum, quod viderat ea esse bona. Rectè in conclusione perfectis omnibus positum est cum additamento *Quia vidit cuncta quæ fecit, & erant valde bona.* Sed quæritur meritò, quare de homine factò non sit adiunctum singillatim, *Et vidit Deus quod esset bonum:* sed ipsius magis factura inter cætera universalius laudanda reservetur, an quia præciebat Deus hominem peccaturum, nec in suæ imaginis perfectione mansurum, non singillatim, sed cum cæteris eum dicere voluit bonum, velut intimans quod esset futurum. Homo igitur ante peccatum & in suo utriusque genere bonus erat, sed scriptura prætermisit hoc dicere, ut potius illud diceret quod futurum aliquid prænuntiaret. Deus enim naturarum optimus conditor, peccantium verò iustissimus ordinator est; ut etiam si qua singillatim sunt delinquendo deformia, semper tamen universitas cum eis pulchra sit. *Et factum est vespere & mane dies sextus: igitur perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatu eorum.* Denarium numerum constat esse perfectum, quia primus suis partibus impletur, sexta videlicet quod est unum, & tertia quæ sunt duo, & dimidia quæ sunt tria. Unum enim, & duo, & tria faciunt sex, quale in monadibus numeris nusquam præter hic invenies: sed neque in decadibus præter viciesimum & octavum numerum. Sex ergo diebus perfecit Deus omnem ornatu cæli & terræ, ut qui omnia in mensura, & numero, & pondere constituit; ipso etiam numero in quo operaretur, suæ opera doceret esse perfecta. *Complevitque Deus die septimo opus quod fecerat:* in alia translatione dicitur, *Quia consummavit Deus in die septimo opera sua, quæ fecit.* Quod nihil omnino questionis affert, quia manifesta descriptio quæ in eo sunt facta, declarantur. Sed meritò quaeritur, quomodo nostra editio, quæ de Hebraicæ veritatis fonte descendit, complevit Deum in die septimo dicat opus suum, quod fecerat: in quo nil novum creasse commemoratur, nisi forte ipsum diem septimum tunc eum fecisse, atque in eius factura opus suum complevisse dixerimus. Quod eo facto mensuram numerumque consummavit dierum, quorum circuitu omnia hinc secula ad finem usque percurrunt. Nam in revelatione temporum octavus idem qui & primus computatur dies. Complevit igitur die septimo Deus opus suum quod fecerat, qui dierum quos fecerat summam in eo terminavit, addito ipso septimo, quem sabbatum dici & esse voluit, eo quod eam mystica præ cæteris benedictione & sanctificatione donaret, ut sequentia docent. Unde etiam consummationis seculi, quia post septimam sabbati ventura est, octava in scripturis nuncupatur, videlicet quæ septem soli præcesse sint. Dicitur enim est in titulo psalmi in finem in hymnis pro octava psalmus David: quod de die iudicii scriptum totus sequentis psalmi extus docet, in quo iram veteri iudicis timens Propheta exclamat: *Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripas me, &c.* Sed & dies Dominicæ resurrectionis cum post tot dierum milia vètura esset, octava tamen & ipsa dicta est in titulo alterius psalmi: quia nimirum septimam sequebatur, ut septimana sequentis prima existeret: id est, eadem ipsa in qua in principio dixit Deus, *Fiat lux, & facta est lux.* Quem quidem psalmum de resurrectione dominica scriptum probat ipse qui in eo loquitur dicens: *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus.* Potest autem rectè accipi complevisse Deum die septimo opus suum quod fecerat, etiam in eo quod ipsum diem benedixit & sanctificavit. Neque enim nullum opus est, benedictio & sanctificatio. Neque Salomon nil operis fecisse dicitur est, cum templum quod fecerat, dedicavit: immo exitum Dei opus est, cum ea quæ fecit, benedictione ac sanctificatione æterna glorificat. Denique de hoc opere quæ in æterno die sabbati facit, dicit ipse in parabola fidelium servorum: *Amen dico vobis, qui præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Qui enim præcingit se,

qui discubitu præparat, qui transit, qui ministrat utique operatur. Sed his tamen verbis omnibus nil aliud intimatur, quam quod sanctos suos Dominos in æternum benedicit & sanctificat, id est, visione suæ gloriæ post opera bona quæ donavit, remunerat. *Et requievit die septimo ab universo opere suo quod paravit:* non quasi lassus ex nimio labore Deus militans humanæ fragilitatis completa mundi fabricare quievit: se requieville ab universo opere suo dicitur, quia novam creaturam ultra instituere cessavit. Solet namque scriptura sæpe nomine requiei, cessationem operis sive sermonis indicare. Sicut in *A. p. c. al. y. p. h. d. sanctis animalibus: Et requiem, inquit, non habebant die ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Domine Deus omnipotens: pro eo ut dicerent, non cessabant hæc semper decantare. Nam maxima & unica sanctis est requies in cælo, laudem summæ Trinitatis, quæ Deus est, indefessa voce dicere. Potest verò altius intelligere quieville Deum ab omnibus operibus non eum opus habuisse ullis operibus suis in quibus requiesceret, quippe cuius requies in se ipso sine initio ac termino semper vera est: sed sola bonitatis suæ causa facile opera, quæ in ipso quiescerent. Quod è contrariò facilius intelligitur, cum meminerimus humanam indigentiam, pro hoc maximè laboribus quotidianis insillire, ut in operibus suis requiem percipere possit, dicente ei Domino: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Deus autem qui ante creationem mundi æternaliter in se ipso perfectam habet requiem, ipse etiam creato mundo non in operibus quæ fecit, sed ab omnibus quæ fecit operibus requievit, ut potest nil haberi necessitatis in creaturis requiescere suis: quin potius creaturis rationabilibus ipse requiem præstans, cum in se ipso perfectè semper requiescat, eoque bono beatus sit, quod ipse sibi est. *Et benedixit die septimo, & sanctificavit illum:* illa videlicet benedictione & sanctificatione, quam populo suo in lege plenè intimat dicens, *Memento ut diem sabbati sanctifices: sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: septimo autem sabbati Domini Dei tui, non facies omne opus, & paulò post: Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, & requievit die septimo: idcirco benedixit Dominus diem septimum, & sanctificavit illum;* quæ profecto benedictio & sanctificatio diei septimi in typum maioris benedictionis ac sanctificationis facta est. Nam sicut per crebras, immò quotidianas in lege victimas, sanguis dominicæ passionis, qui semel erat pro salute mundi effundendus signabatur: ita etiam per requiem diei septimi, quæ post opera sex dierum semper celebrari solebat, præfigurabatur magnus ille dies sabbati, in quo Dominus semel in sepulchro erat requiesciturus, cõpletis ac perfectis in die sexto omnibus operibus suis, quibus mundum, quem die sexto perfecerat, iam perditum restituarat: in quo etiam die quasi antiqui recolens operis aperto sermone declaravit salvatione se jam mundi perfecisse. Cum enim accepisset acetum, dixit: *Consummatum est, & inclinatus capite tradidit spiritum.* Sed & hoc sanctificatio ac benedictio septimi diei, & requies in illa Dei post opera sua valde bona designavit. Quod nos singuli post opera bona quæ in nobis ipse operatur & velle perficere, ad requiem tendimus vitæ celestis, in qua æterna eius sanctificatione & benedictione perficiamur. Unde bene idem dies septimus vespem habuisse non scribitur, quia nimirum perpetuam nostram in illo requiem signat. *Et benedixit, inquit, diei VII. & sanctificavit illum: quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus ut faceret, id est, completo mundi ornatu, cessaverat ab instituendis ultramovis terum generibus. Neque huic sententiæ contrarium debet istud astimari, quod in Evangelio dicit: *Ipse pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Respondens videlicet eis qui propter requiem Dei scripturæ hujus auctoritate antiquitus commendatam, sabbatum ab eo non se servari querebantur. Cessaverat enim septimo die à condendis generibus creaturæ: quia ultra jam non condidit aliqua generata nova. Deinceps autem usque nunc operatur, eorundem generum administrationem, quæ tunc instituta sunt: non ut ipso saltem die septimo potentia eius cæli & terræ, om-**

niumque rerum quas condiderat, gubernatione cessaret, alioquin continuo delaberetur. Huiusque de primordio mundi nascentis iuxta sensum litterarum dixisse sufficit, libet autem paucis intimare, ut etiam sex illorum sive septem dierum in quibus factus est, totidem ejus ætatibus conveniant. Primus namque dies, in quo dixit Deus, *Fiat lux, & facta est lux*: primæ ætati congruit, in cujus initio mundus idem factus. Et homo in deliciis paradisi voluptatis positus est, ubi præsentis gratia sui conditoris malorum omnium liber ac nescius frueretur. Sed hic dies ad vespèram jam cepit declinare, cum protoplasti peccando felicitatè patriæ cœlestis perdidissent, atque in hanc convallem lacrimarum dimeriti sunt, quod etiam significatum est hora temporis illius, cum Adam post culpam manserit, recessisse signaret, et hoc ad auram post meridiem, ut lucem in se homo divinæ cognitionis, fervoremque dilectionis minoratè esse cognosceret. Plena autem vespèra diei hujus advenit, cum crebescens vitium humani generis corrupta est omnis terra corâ deo, & iniquitate repleta, à deo deleri diluvio omnis caro præter quos clauserat arca, mereretur. Secundo die factum firmamentum in medio aquarum, & secunda ætate seculi, arca in qua reliquæ generis humani, & semen ut ita dixerim, sequentium servabatur ætatem, posita est in medio aquarum, quas certatim hinc rupti sunt fontes omnes abyssi, inde apertæ cæli cataractæ fundebant. Sed & hic inclinatus est ad vespèram dies, cum nationes oblitæ proximè vel iræ vel misericordiæ dei contulissent ad edificandam superbiam turrem. Plenam verò accepit vespèram, quando cum confusione linguarum humani generis est discussa societas, tertia die confluentibus in loca sua aquis arida apparuit terra, & mox herbis virentibus ac frondentibus est vestita memoribus. Scilicet ætatis initio terræ separatis in loca sua gentibus idololatris, quarum error instabilis, & vanis simulachrorum doctrinis, tanquam ventis omnibus mobilis, maris nomine benè significatur semen patriarcharum, ab eorum societate directum est, ac spiritali fruge fecundatum, dicente domino ad Abraham: *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui in terram quam monstravero tibi: faciamque te crescere in gentem magnam, & benedicam tibi, &c.* usque dum ait: *In te benedicentur universæ cognationes terræ.* In qua videlicet gente discreti ordines fidelium quasi herbarum virentes & arbores pomiferae, ex una eademque terra prodibant, suscipientes imbrem cœlestem divinarum eloquiorum. Verum hic quoque ad vespèram vergere cepit dies, cum eadè gens Isaac & Isaac & Isaac patriarcharum, & ceremonias datæ sibi legis exterarum gentium est polluta sceleribus, & servitio depressa est. Super venit jam vespèra, quando ipsa gens una cum Rege, quem sibi neglecto deo elegerat, alienigenarum est gladio maxima ex parte deleta. Quarto die luminaria cœli accepit, & quarta ætate præfectus Dei populus nova est factus claritate conspicuus, per imperium David & Salomonis, aliorum quoque Regum Deo auctore regnantium. Per nobilissimum illud quod Salomon deo condidit templum: per insignia prophetarum, quæ cunctis Regum eorundem non deslitterunt florere temporibus. Perque illud maxime, quo primò ac preminentissimo Regum sibi placentium juravit Dominus dicens: *De fructu vetricis tui ponam super sedem tuam.* Verum & hic ad vespèram dies inclinari cepit, cum postmodum & Reges, id est, & populi templi legesque Dei spernentes, vastati ac dilacerati sunt ab hostibus: Gravissima verò ei non solum vespèra, sed & nox succedit, cum totum illud regnum eversum, templum incensum, populus est in Babyloniâ captivus omnis abductus. Quinto die produxerunt aquæ reptilia animalium viventium, & volatilia volentia super terram sub firmamento cœli: & quinta ætate creverunt filii transmigrations, & multiplicati sunt in Babylone, quæ sæpè aquarum nomine designatur; quorum plurimi idem quasi in aquis pisces residere, è quibus tamen erant nonnulli qui velut ceti magni dominari magis fluctibus seculi, quam servire studuerunt: quia nullo terrore ad idololatriam depravati

poterunt. Alii soluta captivitate quasi acceptis pennis libertatis ad terram Israel reversi sunt, & instar volatiliū tota intentione cœlestia petebant: ita ut etiam templum ac civitatem Dei reedificare, legem quoque ejus summa instantia restaurare niterentur. Sed appropriabat vespèra, cum postmodum inter alias scelerum tenebras, etiam domesticis contra se invicem desiderere conflictibus, patriæque sive Romanis ipsi fuisse proditores: quæ & advenit, cum eos non solum tributarios effici, sed etiam alienigenæ Regis contigisset imperio subdi.

Sexto die terra jumenta, bestias & reptilia produxit, quo etiam die creavit Deus hominem primum Adam ad imaginem suam ac de latere ejus dormientis feminam creavit Evam: Sexta ætate seculi inter multos reprobos, qui meritò serpentibus comparari poterant ac bestias, propter savitiam scilicet: & quia toto animo terrestribus inhærere curis vel illecebris nati sunt, & sancti in plebe Dei per plures, qui ad similitudinem mundorum animalium verbum Dei ruminare, ungulam discretionis in via tenere, bonæ operationis jugum divinæ legis portare, & de velle: ibus opus suum calefacere noverunt. Quorum in Evangelio utrorumque mentio est idonea, inter quos secundus Adam, mediator videlicet hominum, in quo tota plenitudo erat imaginis Dei, in mundo apparuit, & de latere ejus in cruce dormientis exivit sanguis & aqua, de quibus sacramentis nascitur ac nutritur Ecclesia, quæ est marer omnium per orbem vera vita viventium, quod Eva nomen sonat. Unde de eisdem sacramentis dicit ipse Dominus: *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam.* Cuius diei vespèram jam nunc appropinquare cernimus, cum abundante per omnia iniquitate refrigerat charitas multorum; adveniet autem multo tenebrosior ceteris, cum apparente homine peccati filio iniquitatis, qui extollitur & elevatur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, tanta fuerit tribulatio, ut in errorem inducantur si fieri potest etiam electi. Subsequente statim hora universalis iudicii, de qua scriptum est: *Verum amen filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Septimo die requievit Deus ab omnibus operibus suis, & sanctificavit illum: & septima est ætas perpetuæ quietis in alia vita, in qua requiescit Deus cum sanctis suis in æternum. Post opera bona, quæ operatur in eis per sex hujus seculi ætates, hæc autem ætas summa pacis & quietis in Deo quidem est, & erit sempiterna; sed hominibus tunc cepit, quando protomartyr Abel corpore quidem sedem sepulchri, anima verò gaudium vitæ perennis intravit, ubi vidit requiescentem pauperem dives ille, cum apud inferos ipse torqueretur. Perseverabit hic autem sabbatismus animarum sanctarum, usque ad finem seculi, & cum ultima ætas seculi post vespèram sumam, de qua præfati sumus, finem interfecto per Dominum Jesum Antichristo perceperit, tunc & ipse sabbatismus majori benedictione ac sanctificatione resurgentibus ad vitam perpetuam corporibus donabitur. Et ideo benè diei septimo vespèra successisse non legitur, quia tristitiam, qua terminetur septima ætas, nullam habebit: quin potius ampliori lætitia, ut diximus, octava ætas perficitur, illius videlicet, quæ per gloriam resurrectionis tunc incipiens, cum hæc tota vita transierit, nullo unquam fine, nulla rerum vicissitudine à contemplando Dei vultu transmutabitur.



HEXAMERI FINIS.

EXPOSI-